DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE TUMORIBUS IN GENERE.

QUAM,

PRÆSIDE DEO OPT. MAX.

Ex Authoritate Magnifici Rectoris,

D. THEODORI RYCKII, J. U. D.
in Illuſtri Academiâ Lugduno-Batavâ Profeſſoris
Hiſtoriarum & Eloquentiæ,

NEC NON

Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, & Almæ Facultatis MEDICÆ *decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Publico examini ſubjicit

SAMUEL CROMWELL, ANGLUS.

Ad diem 14 Iulii, loco horiſque ſolitis.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDCLXXXII.

92
1185.g.16
22
K.

AMPLISSIMO

Conſummataque Eruditionis Viro,

DD. HENRICO SAMSON

M. D.

PRACTICO FÆLICISSIMO

INCLYTI

Collegii REGALIS Medicorum

Londinenſium

SOCIO optimè Merito

Quot quantiſque ſit devinctus nominibus

Memor.

Hunc tenuitatis ſuæ fœtum

offert

SAMUEL CROMWELL,

Auct. & Reſp.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE

TUMORIBUS IN GENERE.

THESIS I.

Inter cæteras, quas indefeſſus hujus ſæculi genius excoluit ſcientias, ea, quæ ad œconomiam animalem ſpectat, minime neglecta ſuccubuit; cujus cultores variis experimentis, variiſque machinis ad ſenſuum defectus ſupplendos inventis, in tantum ſudarunt, ut nullum non moverint lapidem, qui ejus miſteriis eruendis iter occluderet. Non omnes tamen huic rei intenti eundem habuere ſucceſſum, qui exercitia anatomica, ut nimis ſterilia, & rudioris minervæ hominum negotia omnino neglexere; & nudis ſpeculationibus innixi ex non nullis atomorum manipulis in muſæo homunculum ad normam conſtruxere, quamvis enim non dubitem, quin corpus humanum, non ſecus ac aliorum animalium, mechanico plane more conſtruatur, ſingulæque ejus actiones, exceptis iis, quæ ad animam rationalem immediate ſpectant, mechanice omnino præſtentur: fictas autem de particularum motu & figura ſuſtinere notiones, ubi ſenſus evidentia rem manifeſtam confirmat, haud male

viatori poteſt comparari, qui luce meridiana oculos læſit, quo melius viam ſuam ratiocinio proſequatur.

I I.

Celebris eſt illa triplex corporis diviſio, *in contenta*, *continentia*, *& impetum facientia*, quæ tria ad duo poſſumus reducere, *ſolida ſc. & fluida*. Per *ſolidum* nihil intelligo, niſi multiplicem arteriarum & fibrarum nervearum plexuram, quarum extremitates in canales, ſeu veſiculas membranaceas pene infinitas hic, illic variis anaſtomoſibus conjunctas propagantur, quæ tandem cœuntes in venarum, vaſorum lymphaticorum, & ſecretoriorum inhiantia ora terminantur. Hæ fiſtulæ ſecundum variam materiæ, quâ conſtant modificationem diverſas corporis noſtri partes conſtituunt, nunc enim in viſcera convoluuntur, nunc in muſculoſas emolleſcunt carnes, modo in tendines congregantur, qui iterum expanſi abeunt in membranas, modo denique in ligamenta, & cartilagines coaleſcunt, qui etiam ſucceſſu temporis adfirmitatem totius ſtabiliendam in ſolida dureſcunt oſſa, imo ipſi ungues pro excremento tertiæ concoctionis à veteribus habiti, ſunt iidem canales ad extimam ſuperficiem prolongati, & ad extremitatem ſenſim ſolidiores redditi. De pilis aliud ſtatuendum eſt, qui quidem non ſunt proprie noſtri corporis partes, ſed ſui juris vegetabilia cuti implantata, non aliter ac multiplices plantas in alterius dorſo radices agere in agris videmus.

I I I.

Liquores, quibus irrorantur prædicta vaſa, licet ex diverſis coctionibus nomen cum natura mutent, ex uno tamen fonte oriuntur omnes, ex Chylo ſc. fit ſanguis, ex quo deinceps ſuccus nervoſus, cæterique omnes, quotquot in toto corpore invenire datur humores, vel mediate, vel immediate ex hiſce proliciuntur. A Chylo dependet nulla alicujus momenti actio in œconomia, antequam ad cor pervenerit, ubi velut fluvius ab oceano abſorptus ſanguini in pabulum cedens nomen, & ſenſim naturam ſuam deponit; principia enim activa in liquore ſanguineo, chylum ei perenni influxu inſtillatum continuâ agitatione minutiſſime ſubigunt,

gunt, poſtea utraque per pulmonum vaſa circulantia, ibique particulis aëris nitroſis occurrentia ex mutua miſtura novam acquirunt fermentationem, præcipuam tum caloris, tum coloris in ſanguine originem.

I V.

Dum ſanguis hoc modo diſpoſitus per corpus circulum agit pars ſeroſa, & excrementitia per renes, vaſa cutanea, aliaque emunctoria ex ejus ſinu deponitur. Volatilior, & ſpirituoſior in cerebro ſecernitur ad liquorem nervoſum, à cujus miniſterio dependet motus, & ſenſatio; pro ut enim ſpiritus aëreus in ſanguinis maſſam ope reſpirationis trajectus ibidemque cum particulis cruoris ſulphureis efferveſcens, *animam vitalem* efficit, ita veriſimile eſt, cum eiſdem magis exaltatis & in cerebro una ſeparatis in propagine nervoſa *animam* conſtituere *ſenſitivam*.

V.

Duo prædicti liquores ordinario naturæ ritu per continuos canales circulantes, & hic illic occurrentes ex mutua miſtura tertia diverſæ indolis ſecedit materia, quæ vel in deſtinatas cavitates, ut commodius pro naturæ intentione eliminetur, deponitur, cujus effectus ſunt, *nutritio*, *generatio*, *& motus localis*, vel ſecundo ambitu facto intra ſanguinem iterum dirigente vaſorum ſtructura ad ulteriores uſus reducitur; ut videre licet in glandulis conglobatis & conglomeratis, in hiſce ſuccus ſeparatus *Chilificationi*, in iſtis *ſanguificationi* præcipue inſerviens. Cum autem unus aut alter ex hiſce liquoribus, proprio, aut vaſorum vitio ab actione ſua divertitur, plurimi morbi tam externi, quam interni, oriuntur. Inter poſteriores non infimum locum obtinent *tumores præternaturales*.

V I.

TUMOREM. Definio, *morbum ſolutæ unitatis in aliqua parte corporis à nimia accumulatione humorum ortum, qui in circuitu impediuntur*. Ideoque cauſam generalem omnium tumorum ſive ſint per

fluxio-

fluxionem, ſive congeſtionem ſtatuo eſſe obſtructionem; conjuncta & formalis eſt humor in aliqua parte ſive ob proprium ſive vaſis vitium accumulatus. Per humorem intelligo ſanguinem, aut ſuccum nervoſum, qui duo ſingulas corporis noſtri partes continua circulatione perluunt. Nam quo ad cæteros, quot quot ſint, excepto Chylo, qui ex antedictis ex hoc ſenſu facile evadat, ſunt ſolummodo ſecundarii & quodcunque habent ab hiſce receptum tenent.

V I I.

Tota ſanguinis maſſa ex opinione veterum, è quatuor componitur humoribus, *ſanguine proprie dicto, pituita, bile, & melancholia.* Pro hujus aut illius humoris in parte obſtructa abundantia, quadruplicia tumorum genera præternaturalia ſtatuere viz. Si ſanguis naturalis nimia vi agitatus è vaſis erumpat, pars ſtatim in Phlegmonem tumeſcit, ſi bilis vera ſequitur eriſipilas; ſi pituita legitima in partem deſtilletur, Oedema; malancholia denique extravaſata in ſchirrum indureſcit. Cæterum miſtis ſimul iſtis humoribus compoſiti oriuntur tumores, & quilibet in miſtura exſuperans nomen tumori imponit; hinc ſanguine bili dominante, exinde ortus tumor appellatur Phlegmon Eriſipelatodes; bile ſanguini eriſipelas Phlegmonodes, aliarumque mixtionum ſimilis eſt interpretatio.

V I I I.

Hæc ſententia licet à Galeni uſque temporibus in medicorum ſcholis triumphaverit, noſtro tamen ſæculo ubi tum ſtructura corporis, tum ſanguinis motus, & natura melius innoteſcunt non ſine ratione ſuſpecta eſſe incipit, nec ita paſſim pro ſolvendis morborum Phænomenis uſurpatur: ideoque ab alio fonte differentias tumorum deducere nobis viſum eſt. Alii pro cauſa materiali & continente habent liquorem ſanguineum, quales ſunt Phlegmon, eryſipelas, Oedema, Carbunculus, Herpes, & hujuſmodi puſtulæ. Alii præcipue à ſucco nervoſo craſi ſuæ naturali degeneri originem debent; Ut omnes tumores ſtrophuloſi & ſtrumoſi, alii denique ex utriuſque miſtura dependent, quorum differentiæ fere infinitæ, nec non diverſa ſymptomata à nulla alia cauſa, quam mu-

tur horum liquorum effervescentia deduci queunt; ad hanc Claſſem pertinent ſchirrus, Cancer, Bubo peſtilentialis, & venereus, Abſceſſus pituitoſi, Lupia, Tophus &c.

I X.

Sanguine à circuitu ordinario ad arteriarum extremitates obſtructo, neceſſe eſt ut abundante materia earum tunicæ extendantur, & cum ejus impetui non poſſint diutius reſiſtere, diſrumpantur, unde humor effluit, qui inter fibrarum interſtitia collectus, earum latera comprimendo aliam parit obſtructionem, & ita novi ſanguinis influxu ſenſim vires reſtaurando in magnum tandem tumorem accreſcit, qui *Phlegmon* appellatur, cum rubore, calore, pulſu, reſiſtentia, dolore, & aliquando febre.

X.

Rubeſcit hic tumor ob majorem ſanguinis congeſti copiam, cum enim omnes partes corporis rubedinem, quam habent à ſanguine mutuantur, ubi idem abundat, tinctura erit ſaturatior; Haud aliam agnoſcit cauſam ejuſdem calor, qui tamen ex humorum fermentatione aliquo modo poteſt promoveri: præterea nova materiæ quantitas in parte accumulata, ibique calore rarefacta, præter naturam ejus fibras diſtendit, eaſque rigidiores reddit, unde reſiſtentia, item dolor, & pulſus, nam ſenſationis fibrillæ velut cordæ muſicæ, quo magis ſunt tenſæ, eò redduntur ſenſibiliores: Ideoque tum ſanguinis extravaſati moleſtiam, tum ejuſdem in arteriis vicinis contenti pulſum, quamvis non ſolito majorem, acutius perſentiunt: febris denique aliquando conſequitur, quoniam ſanguis venoſus unoquoque circuitu aliquas materiæ ſtagnantis particulas recipiens eas mox arterioſo communicat, cui non bene miſtæ fermentationem febrilem excitant.

X I.

Si obſtructo vaſe ſanguis non tanto impetu in partem demittatur, ut latera ejus diſrumpat, quicquid cruoris per uſitatos delabi tractus impeditum per anaſtomoſes arteriarum cum arteriis, quæ

ubi-

ubique reperiuntur, in alios ramos facile transfertur: dum tenuior & ſeroſior pars cum aliam per vaſa pinguedinis ſecretoria viam offendit, è craſſioris gremio minimo negotio præ periſtaltica arteriarum contractione exprimitur, quæ in membranaceas thecas muſculorum & tunicæ adipoſæ collecta *Oedema* format.

XII.

Tumor hic albus eſt, à colore humoris contenti, cujus etiam particulæ conſimiles, inter ſe conſociatæ ſine tumultu aut efferveſcentia quietæ jacent, & humidæ cum ſint, ſenſitivas fibrillas plurimum relaxant, ideoque tumor, quamvis magnus nullum ferme habet comitem dolorem; non enim fibræ magis extenduntur quam ad eandem actionem ſine moleſtiâ ferendam capaces fiunt. Hinc etiam pars digito depreſſa foſſulam retinet: Fibræ enim à ſero imbibito obrutæ vim tonicam amittunt, & ſenſu deleto flacceſcunt. Aucta nonnunquam mole, vicina vaſa ad ſanguinis uſque extravaſationem comprimuntur, indeque ortus tumor Oedema Phlegmonodes, au Eriſipelatodes audit.

XIII.

Sanguis à quacunque cauſa in turgeſcentiam commotus, dum majori impetu capillaria vaſa percurrit, eorum tunicas diſrumpendo varias inflammationes producit; quæ nomina diverſa à parte affecta potius, quam humoris differentia ſortiuntur, hinc idem ſanguis qui in pleura aut pulmonibus obſtructis inflammationem (quam Pluritidem, aut Peripneumoniam appellant) producit. In meningum vaſis extravaſatus format Phrenitidem, nec dubito, quin de Phlegmone & Eriſipelate eadem ſit ratio, ille nempe eſt inflammatio in muſculis hic vero ſolâ in cute; Cauſa autem continens in utriſque eſt eadem.

XIV.

Cutis ſubſtantia eſt vaſorum minimorum denſa, & implicata compages, quorum interſtitia mucoſâ ſeu potius glanduloſâ ſubſtantiâ implentur, idcirco rapidius quam ordinario ſanguis actus

de

de facili ibi irretitur; cujus texturæ laceræ ſuccedit inflammatio, quæ cum in extrema corporis ſuperficie ſit, à circumpremente aëre plurimas in ſe admittit particulas nitroſas, quibuſcum novam ineuns fermentationem, moleſtiſſimi illius tumoris, *eryſipelatis* dicti, rationem formalem exhibet.

X V.

Differt à Phlegmone ſecundum authores in ſex rebus, *materiâ, ſitu, tumore, colore, ardore & dolore*; *materia* tamen ut antea dixi, cum primum obſtructa utriuſque eſt eadem, ſi vero poſtea ullam acquirat diverſitatem, eam in parte in qua obſtruitur habere affirmo; cum enim ſanguis unicus ſit liquor, & ubicunque loci per ſingulas corporis partes differtur, idem manet, neceſſe eſt, ut è rupto vaſe idem indiſcriminatim effluat; *In ſitu* differunt, quoniam Phlegmon eſt plerumque in partibus muſculoſis, eryſipilas nuſquam niſi in cute; Ideoque omnes inflammationes in illis partibus, ubi muſculi deficiunt, naturaliter terminantur in Eryſipelas. Quicquid fingunt alii de calore, ſituve loci, aut humoris ſubtillitate, hæc ſola eſt ratio cur Eryſipelas in facie, aut thorace frequentius quam aliis in partibus contingit.

X V I.

Tumor non multum elevatur ob firmiorem cutis ſubſtantiam, qui impedit partium ejus ſeparationem, & conſequenter humoris in magna quantitate extravaſationem: aliquando tamen ſuperficie tenus totum percurrit corpus, & ſic defectus ex una, in altera parte compenſatur, ſi in profundum tendens ſubſitas muſculorum fibrillas deprimat, ex inde orta inflammatio, Phlegmon appellatur, & ex utriuſque compoſitione Eryſipelas Phlegmonodes.

X V I I.

Color eſt multo floridior, quam in Phlegmone, tribus de cauſis, primò ob ſanguinis congeſti minorem quantitatem, ſecundò ob albedinem cutis, qua rubicundus ſanguinis color modificatur, tertio ob immiſtionem nitri aerii; eodem modo ac cernimus poſt

venæ ſectionem ubi ſanguinis in vaſa recepti ſumma ſuperficies, quatenus aeri expoſita, eundem acquirit colorem. Nil mirum quod dolor ſit intenſior, cum morbus occupat ipſum tactus organum. *Ardor* eſt effectus effervescentis humoris cum particulis aëris, huc adde particulas ſalinas ſudoris, quæ in cute à ſanguine ſeparatæ eum aliquomodo promovent. Difficultas ſuppurationis ab utriſque dependere videtur.

XVIII.

Prædicti tumores ortum habent, vel à vitio vaſorum, vel à ſanguine non multum à ſtatu ſuo naturali declinante. Alii ſunt qui à ſanguine venenoſa aliqua qualitate infecto, ideoque varias coagulationes & corruptiones ſubire parato, dependent. Cum enim cruoris miſtio æqualis à contagio acido ſoluta ſit; ejus particulæ plurimæ inter ſe implicantur & invicem coagulantur, quarum grumi intercirculandum in carne muſculari, aliiſve partibus ſub cute poſitis intercepti, tumores illos malignos *Anthracem*, & *Carbunculum* componunt; ſi vero in cute ſint deſixi puſtulas ulceroſas, *Herpetes* vocatos, eandem enim inter ſe habent rationem Carbunculus, & Herpes, ac Phlegmon & Eryſipelas. Ideoque utriuſque explicatio non eſt neceſſaria, cum ex uno noto alterius natura deducatur.

XIX.

Anthracis, ſeu carbunculi (non enim differunt niſi ſecundum majus & minus) ſigna ſunt dolor intentiſſimus, calor flammeus, rubedo obſcura, & ſub nigra: pars affecta eſt dura, modo puſtulis circa ſe acerrimis, modo veſiculis Ichoroſis fuſcam, & cineream cruſtam tegentibus coronata, quæ omnia ex fermento maligno in humore obſtructo ortum habent, ex quo continuo effluunt particulæ acres & igneæ, quæ non aliter, ac eſcharotica, dum cutis vaſa permeant, quandoque eornm tunicas penitus exedunt, unde orificio aperto ipſe ſanguis extravaſatur, qui effluviis venenatis immiſtus puſtulas illas ardentes producit, quandoque ſola vellicatione eorum fibrillas adeo reſerrant, ut ſeroſitates ex illis cogant, quæ cuticulam imperviam à cute ſeparantes, eam in veſiculas attol-

[illegible] Eædem denique particulæ corroſivæ in ambitum, & profundum ſerpentes, fibras carneas exurunt; hinc fruſtum ex omni parte ſeparatum decidit, & foſſam ulceroſam poſt ſe relinquit. Hi tumores non ſuppurant, tum ob in domitam materiæ malignitatem, tum quod obſtructio ſit adeo abſoluta, ut nullum à natura præbē poſſit auxillium.

X X.

Poſt explicatam tumoris maligni naturam, ex ordine tractatus oportet procedere ad affectum illum, qui illius indolem proxime referre videtur, qualis eſt Gangræna, ſeu partis putrefactio ob totalem ſanguinis circulationis ſuppreſſionem; hæc enim eſt ejus ratio formalis, cauſæ antecedentes ſunt plurimæ ſed ad tres principales ab authoribus reducuntur, quæ ſunt *qualitates venenatæ, calor præternaturalis, & frigus externum.* Ex qualitate venenatâ ſanguinem ad coagulationem diſponente, ut in morſu viperarum ſæpius morbus hic oritur, imo quilibet Carbunculus eſt revera perfecta Gangræna at limitibus minoribus reſtricta.

X X I.

Cauſa altera eſt nimis arcta membri faſciatio, (qua ut ajunt authores) ſpiritus intercipiuntur. Fateor quidem quod ſpiritibus omnino interceptis pars neceſſario ſit moritura: attamen non video, quod ligaturæ ordinariæ hoc poſſint præſtare, hoc autem modo venæ, quæ ſanguinem reducunt, ad exterius cum ſint ſitæ, reſtringuntur; dum arteriæ liberæ novum ſemper in parte accumulant, qui cutis, carniſque vicina vaſa infarciens & tandem eadem aut mole aut fermentatione diſrumpens parti veluti à reliquo abſciſſæ Gangrænam infert; ideoque hoc in caſu profundæ ſcarificationes optime conveniunt, non quod ſpiritus ad partem (neſcio quî) attrahunt, ſed quod redundantem ſanguinem à parte detrahunt, ut per vaſa hoc modo liberata, diminuta materia facilius poſſit regeri. Hanc ob rationem magnæ inflammationes ſæpe terminentur in Gangrænam, idcirco uterque affectus ad cauſam ſecundæ claſſis (calorem ſc. veterum præternaturalem) referri poteſt.

XXII.

Tertia eſt frigus externum ex quo nimis intenſo membrorum extremitates aliquando adeo conſtipantur, ut mortuorum inſtar inſenſiles & rigidæ evadant; ubi hoc contigerit frigida admovenda præſcribunt authores, quod verum eſt cum grano ſalis; reſpectu enim aliarum partium naturaliter ſeſe habentium frigida dici poſſunt, minime vero partis affectæ, habeant igitur oportet eum motus & conſequenter caloris gradum, quo poſſint gelidum in rigeſcente membro cruorem ſenſim diſſolvere & ad motum paulatim promovere ut hoc modo relaxatio vaſorum cum rarefactione materiæ in iis contentæ proportionem ſervet. Aliter enim ſi calida in principio applicentur, ſanguis ſimul rarefactus rigidos ſuos canales motui iſti ſubitaneo inhabiles diſrumpet; & ſic pars putreſcens Gangrænam patietur; haud ſecus ac poma glaciata, quæ cum in nive, locove aliquo frigidiori collocantur, priſtinum fere ſtatum recuperant, igni autem admota in mucoſam maſſam emolleſcunt.

XXIII.

Signa Gangrænæ ſunt *color lividus, & atropurpureus, Pulſus, doloris & ſenſus abolitio, cuticula penu debito deſtituta decidentia* totius membri in corruptelam tendentis præcurſor. Pars digitis depreſſa foſſam diutius quam in Oedemate retinet, hic quippe vis fibrarum elaſtica aliquantulum ſolummodo relaxatur, illic ob corroſam fibrarum continuationem, ſanguinis & ſpirituum influxus penitus ſupprimitur, & hoc modo omnis reſiliendi potentia aufertur.

XXIV.

Prædicta de tumoribus ſanguineis ipſis ſenſibus adeo ſunt obvia, ut non dubitem quin maximæ eorum parti Lector ſit aſſenſum ſuum præſtiturus, & quanquam ad ea quæ ſequuntur confirmanda ob ſubjecti ſubtilitatem immediata à ſenſuum teſtimonio ſuffragia non habeam, quicunque tamen corporis humani machinam, ejus partium officia, & ex earum prava diſpoſitione dependentes morbos ſedulo examinaverit, apud ipſum mera inſomnia vel gratis aſſerta non audient.

XXV. Glan-

XXV.

Glandulas, in quibus reductivæ ſecretiones peraguntur, largioribus (compito ad ipſarum molem facto) nervis donari quam ullas alias corporis noſtri partes, docet anatome. Imo conſtat in quibuſdam nervorum numerum, illum vaſorum ſanguiferorum ſuperare, cum autem iſtæ partes ſint tum ad motum, tum ad ſenſum pene inhabiles, dubitare non licet, quin nervi aliquem liquorem in illis deponant, qui humori arterioſo ibi occurrens, illum ita diſponit ut ex mutua miſtura utriuſque particeps lympha in vas ſecretorium colligatur.

XXVI.

Hoc ſuppoſito, dico quod liquor nerveus non ſecus ac reliqui corporis humores, variis modis poſſit vitiari, & proinde ſecretio Glandularum, quæ, ut veriſimile eſt, præcipue ab hujus liquoris actione dependet, non rite procedit, ideoque orta obſtructione humor acredinem morâ contrahit, & tandem vaſa ſanguinea corrodens cum inde deſtillante colatura glandulam opplet, ex qua excitatur tumor *Scrofula aut Struma dictus*. Quamvis enim cauſa principalis hujus morbi fundetur in ſucci nervoſi vitio, ut ex plurimis ejus ſymptomatis credere inducor; haud fieri tamen poteſt, quin temporis ſpatio vaſa ſanguifera una patiantur; cujus veritatem probat partis inflammatio, & exaperto tandem ulcere magna effluentis Ichoris copia.

XXVII.

Tumor hic eſt *durus*, *inæqualis*, *non multum dolorificus*, *aliquando mobilis*, *aliquando fixus*, quod ex ſitu glandulæ dependet; ſi enim inter partes cutaneas locatur, mobilis eſt: ſi in muſculorum interſtitiis profundius locum habet, non movetur, niſi ad motum muſculi. Omnibus locis ubi ſunt glandulæ videntur Scrofulæ, ut in omnibus articulationibus, præcipue vero in collo, per cujus longuitudinem, quaſi globulorum catena ab auriculis ad claviculas deſcendunt. Infantibus quam adultis magis ſunt familiares, & ferme ſingulis eorum, qui caput habent male formatum aut laborant

Rachitide, comites individuæ, haud minimum argumentum [illegible] à nervis habere originem: difficillimæ denique ſunt curatu & potius tempore quam remediis victæ decedunt.

X X V I I I.

Omnes glandularum obſtructiones facillime indureſcunt in *ſcirrhum*, liquores enim illic oppilati, diverſæ cum ſint indolis, eorumque ſales in diverſo ſtatu poſiti non aliter ac liquores chymici per mutuam fermentationem & coagulationem in materiam tophaceam & calculoſam poſſunt converti; prout inſtantia notiſſima, quando ſpiritus vitrioli oleo tartari affunditur, maneſeſto liquet; ſi ex tumoribus ſanguineis male judicatis oriatur Scirrhus materia contenta (ut in caſu præcedente) non eſt ſabuloſa, ſed propter particularum volatilium & magis tenuium tranſpirationem glutinoſa deventa, vel ex repellentibus frigidioribus intempeſtive applicatis conſtipata.

X X I X.

Cum hoc ritu à liquore nerveo ſtagnante, & concretionem heterogeneam cum ſanguine moliente Tumoris minera in aliqua glandula confletur, interdum accidit, ut ejuſdem liquoris jugiter affluentis ſupplimenta unà cum recrementis ſanguinis ibi depoſitis fermentationem novam & majorem ineant, cujus actione liquor quidam ſepticus & inſtar aquæ ſtygiæ corroſivus conficitur, qui tumorem in initio durum fundit & diſſolvit, ut ſæpe accidit in præparationibus Chymicis, ubi coagulatio & diſſolutio eodem perficitur menſtruo ſecundum proportionem, quæ in mixtura obſervatur, ex Scirrho hoc modo in novo motu conſtituto, velut à candente globulo ferreo plurimæ particulæ corroſivæ effluunt, quæ partes vicinas erodentes tumori, *Cancro* dicto, initium præbent.

X X X.

Cancer in Principio vix piſi magnitudinem adæquat, quo tempore ſentitur *dolor urens & admodum pungitivus, paulatim accreſcens*,

ſcirrus, *gravioribus ſymptomatis magis innoteſcit*, *qualia ſunt duritics*, *inæqualitas*, *dolor ardentiſſimus: pars affecta livida eſt*, *& undique venis tumefactis cancrorum pedes referrentibus*, *inflammata*; ſanguis enim ſingulo circuitu à putrefacta maſſa aliquas in ſe recipit particulas acidas, quibus in reditu coagulatur, lenteſcit, & ad motum ineptior redditur. Hinc ob continuum per arterias à corde affluxum, recurſum vero per venas diminutum, ex congeſto ſanguine ſuccedit vaſorum extentio: exemplum habemus in vaſis emulgentibus & prægnantium hypogaſtricis, quorum venæ multo majores ſunt arteriis, imo reſpectu ad alias partes habito plurimum proportionem excedunt, cujus ratio eſt quod in hiſce locis magna iſtius liquoris quantitas, qui ſanguinis motum facilitat, ſeparatur, ideoque reliqua pars ſpiſſior evadens tardiori paſſu circulationem continuat, unde à molo aucta varicum inſtar vaſa amplíantur.

XXXI.

Cum tam ſanguis quam ſuccus nervoſus qualitatem aliquam acquiſiverint venenatam, dum emunctoriis glandulosis occurrent propter virulentiam ab utriſque illic depoſitam tumores malæ indolis, & maligni ſæpe oriuntur, quales ſunt *Bubo peſtilentialis & venereus*, in quorum ſymptomatis tanta eſt varietas, quanta eſt contagii diverſitas. In membrorum flexuris, ut in inguine, ſub axillis & auribus, ubi locorum glandulæ ſunt maximæ, plerumque prodeunt.

XXXII.

Vaſa lymphatica, quacunque de cauſa obſtructa ſæpe in veſiculas rotundas aqua turgidas attolluntur, *Hydatides* dictas, quarum quælibet inter binas dictorum vaſorum valuulas efformari videtur; dum influens lympha neque prorſum propter obſtructionem, neque retrorſum propter valuularum impedimentum viam inveniat, hiſce veſiculis à ſuis glandulis ſegregatum accedit incrementum, interea pars ejus tenuior & ſubtilior à calore partis inſenſibiliter evaporatur, dum reliqua non aliter ac lympha igni impoſita ingelatinam inſpiſſatur, & hoc modo *Abſceſſus*, quos appellant *pituitoſos* generari confirmat ocularis demonſtratio

Ruiſch.

Raiſch. obſerv. anat. 25. præterea corpora heterogenia e ſanguinis maſſa una cum aliis excrementis per vaſa ſecretoria eliminari probant monſtroſa per mammarum, renum, & cutis vaſa excreta, ideoque naturam idem per lymphatica moliri minime dubium eſt. Sæpe tamen accidit, ut res excernenda viis inhæreat, & conſequenter lymphæ motum ſiſtat: Hinc pili, fila & ejuſmodi in hiſce tumoribus inventa, non ex humoribus in parte affecta generantur, ſed ipſa ſunt cauſæ primariæ humoris obſtructi: vaſis conformatio materiæ hujus extraneæ ingreſſu mutata facilius alias ſanguinis impuritates, non nunquam & ipſum ſanguinem in ſe admittit, hinc plurimum luditur in horum tumorum formatione; ad tres tamen ſpecies ab authoribus reduci ſolent. Si ſc. materia contenta ſit adipi æmula, tumor vocatur *Steatoma*, ſi juſculo *Atheroma*, ſi denique melli *meliceridis* ex inde nomen habet.

X X X I I I.

Naturæ ludentis, vel vi morbi aberrantis, frequenter in animalium corporibus excitatas excreſcentias miramur, quarum plurimæ naturalem partium ſtructuram exacte fere imitantur, in his enim non aliter ac in reliquis organis omnis generis vaſa deleguntur, & inter diſſecandum ſanguinem, non aliter quam aliæ corporis partes floridum effundunt. Quæquidem res explicatu ſatis difficilis videtur ex principiis vulgo receptis de generatione & nutritione; ſc. omnes partes in ipſo ovo exiſtere, & ſola vaſorum extentione eaſdem augeri. In ſolutionem hujus dico, cum ſuccus nutritius ex mutua ſanguinis & ſucci nervoſi mixtura debitam ad partes nutriendas diſpoſitionem acquiſiverit, ſi forte accidat ob conformationis vitium, ejus è vaſis extravaſatio, qui inter fibrarum interſtitia collectus, ſecundum variam quam recepit modificationem, in diverſæ indolis maſſam coagulatur, quæ ubique partis vaſis intertexta ad modum quo à novo adveniente ſucco augetur, ea extendit, hinc arteriæ & venæ, quæ per concretam ſubſtantiam diſſeminantur, non ſunt partes de novo generatæ, ſed primogeniæ e ſitu ſuo naturali depulſæ.

XXXIV. Suc-

XXXIV.

Succus hic nutritius partium mollium nutritioni deſtinatus in carnoſam molem concreſcit, quæ *Lupia* vocatur & grandior facta, *Nata*, ſeu *Cucurbita*; diverſa enim ſortitur nomina pro figuræ, & membri, in quo eſt varietate, ut in naſo *Polipus*, in ſcroto *Hernia carnoſa*, in utero *Placenta*. Si tendinum nutritioni fuerit appropriatus *Ganglionem* format, ſi vero oſſium aut cartilaginum in *Callum*, *Nodum*, aut Tophum indureſcit.

XXXV.

Origine Tumorum huc uſque producta, tempus eſt ut ad eorum *terminationem* properemus, quæ eſt vel ſalutaris, vel inſalutaris. Salutaris ſi (naturâ victricê) materia morbifica per reſolutionem vel ſuppurationem expellatur, inſalutaris vero ſi eâdem deficiente, materia corrumpatur, indureſcat, vel iterum deliteſcens ad partes nobiliores transferatur.

XXXVI.

Reſolutio juxta authores eſt inſenſibilis materiæ morbificæ per cutis poros tranſpiratio; cui tamen nequeo aſſentiri. Quamvis enim non negem, quin totum noſtrum corpus infinitis donetur porulis æthereæ naturæ particulis ſemper patulis, per quos etiam ſubtiliores ſanguinis ſpiritus tranſpirent. Pori autem illi perſpicui, quos per totam corporis ſuperficiem, ſicut per corticem limonis, videmus ſparſos, ſunt vaſorum orificia, quôrum ſingula in propriis glandulis terminantur, ut liquido apparet in lingua, pedum & manuum digitis, aliiſque locis, ubi natura uberiorem providit humoris ſegregationem: ideoque ſanguis extravaſatus debet horum vaſorum tunicas penetrare, antequam per haſce vias poſſit expelli, quod cum particulæ ejus craſſiores præſtare non poſſint, alius nobis quærendus exitus, ſc. motu ſanguinis rapidiore, quo vaſa nimis diſtenta fuere rupta, ceſſante, humor ſtagnans naturæ aut remediorum virtute attenuatus per eaſdem quas egreſſa eſt aperturas quolibet ſanguinis circuitu paulatim reſorbetur, & cum aliis excrementis per ordinarias ſecretionis vias maſ-

ſæ ſinu ſenſim expurgatur, in qua ratione humoris reſolutionem præcipue conſiſtere credo.

XXXVII.

Suppuratio eſt mutatio humoris extravaſati in materiam quandam lentam & albam, quam *pus* appellamus, veteres hunc effectum attribuunt calori naturali à ſolitæ nutritionis actione per externum calorem præternaturalem impedito. Moderni eundem explicant per mutuam principiorum humoris effervеſcentiam, quâ toto maſſa (ut in Chymicis liquorum ſimilis naturæ præparationibus liquet) in cremorem album mutatur: Quarum opinionum poſterior non minus eſt falſa, quam prior eſt obſcura. Corruptio enim humoris in gangræna, echymoſi, & hiſce ſimilibus ſatis demonſtrat eruorem in aliqua parte congeſtum, per ſolam ſuorum principiorum fermentationem nunquam in pus converti, hinc è pectoris vulneribus videmus ſanguinem in ejus cavitatem effuſu., ibique ad viginti dies uſque fermenteſcentem ne minima quidem ſuppurationis ſigna dare.

XXXVIII.

Veriſimile itaque eſt, in illis tumoribus, quibus pus laudabile generatur, ſanguinem ubi primum ex vaſis diruptis effuſus ſit, non unitâ mole in aliqua cavitate contineri, hoc enim modo *Echymoſis* producitur, at inter muſculorum membranas quaſi in tot diſtinctas veſiculas colligi ut hoc modo ratione quantitatis majore ſuperficie potitus, ſpiritus activos & vitales à vicinis vaſis per totam ſuam ſubſtantiam intimius recipiat, à quorum actione ſuppuratio præcipue dependet, ad cujus proinde perfectionem non parum conducit lympha, quæ è vaſorum oſculis guttatim deſtillans ſua inſipidâ qualitate humoris acrimoniam temperat, nec non conſiſtentiam & colorem ei conciliat.

XXXIX.

Inter terminationes tumorum inſalutares, peſſima eſt *putrefactio*, quo in caſu calor naturalis deprimitur, vel quod idem eſt

ſpi-

ſpirituum vitalis influxus impeditur, ideoque maſſa obſtructa ex mutua ſuorum principiorum actione corrumpitur, & inſtar aquæ ſtagnantis ad cujus ſingulas partes ob ſuperficiem immutatam particulæ nitroſæ aëris pervenire nequeunt, in humorem fœtidum, & acrem degenerat à quo fibris corroſis, in gangrænam corruit ſubjecti compages. Aliæ ſunt putrifactionis ſpecies non adeo periculoſæ, ubi natura non plane impeditur ſed à ſua actione aliquo modo divertitur, ut in pituitoſis accidit ob nimiam lymphæ aciduſculæ copiam; in hoc caſu pus eſt nimis album, conſiſtentia inſtar cremoris craſſa, cum odore acido; è contra in bilioſis & febricitantibus pus eſt nimis rubrum, liquidum, & inæquale, quibus enim ſanguis eſt acris vaſorum aperturas, per quas deſtillat, corrodit, hinc ulcus excitatur, materiam quandam purulentam & acrem præbens, quod ob perennem humoris corroſivi influxum ægre ſanatur.

X L.

Nil magis humoris corruptionem promovet quam partis aëri expoſitio, hoc manifeſto conſtat in Empyematis tractatione: lateri enim primum aperto materia fere inodora effluit, poſt biduum autem vel triduum ab aëre orificium ſæpius ingreſſo, inſignem adeo contrahit fætorem, ut exinde non parum augeantur ægrotantis miſeriæ. Hæc etiam, ut ante dixi, ſi non unica eſt maxima ratio cur Eryſipilas tam difficulter ſuppurationem admittat. Hinc ægrotis male conſulunt Chirurgi, qui ante peractam ſuppurationem inciſionem inſtituunt, hac enim intempeſtiva fæſtinatione è ſimplici tumore ulcus ad annos duraturum, componunt.

X L I.

Altera illigitimæ terminationis ſpecies eſt *deliteſcentia*, quæ eſt ſubita, & inexpectata humoris obſtructi ſine cauſa ulla manifeſtâ diſparentia. In reſolutione materia morboſa in parva quantitate per vaſorum orificia paulatim recepta abſque magna ſanguinis alteratione una circulatur, dum per excrementorum ſecretoria ſenſim ejiciatur. In deliteſcentia autem tota quantitas una vice in ſanguinis ſinum abſorpta mole ſua æqualem ejus motum perturbat,

hæt, unde ſæpe febris ſequitur, vel ad minimum eadem materia cum circulationi ſit inhabilis, in viſceribus obſtructiones parit, & morbus ſecuturus eſt periculoſior, in quantum pars affecta eſt nobilior. Tertia tumoris inſalutaris terminatio eſt humoris induratio de qua egimus in ſcirrho.

X L I I.

Cum ex mala tumorum Criſi tanta incommoda nobis poſſint oriri, medico incumbit naturæ defectus medicamentis ſupplere. Hac ergo in re duæ indicantur intentiones. Prima ſanguinis per remedia interna alteratio, ſecunda partis affectæ per applicationes externas, curatio. Ad primam ſpectant evacuantia & alterantia, ad ſecundam repellentia, reſolventia, ſuppurantia, deterſiva, incarnantia, & cicatricem inducentia, quæ omnia pro diverſo morbi ſtatu ſuas habent indicationes.

X L I I I.

In initio tendenda eſt curatio per *repellentia*, quæ duo remediorum genera includunt, primo *incraſſantia*, quæ particulis viſcidis, lentis & glutinoſis conſtant, ideoque difficulter in motum ſunt concitata, aut excalefacta, ſed parti applicata humorum rarefactionem & ad partem affluxum impediunt. Hinc metallica quæ difficilius caleſiunt & diutius noſtri corporis calori reſiſtunt, cæteris præferuntur, quorum uſus quotidiana approbat experientia, in tumoribus ex contuſione ortis, qui ferri frigidi applicatione momento temporis evaneſcunt. Secundo *aſtringentia* ut acerba omnia & auſtera, quorum particulæ cuneorum inſtar fibras conſtringunt, & tenſiores reddunt, unde materia extravaſata, undiquaque coarctata eaſdem, per quas effluxit vias, repetere cogitur. Si ſucceſſus his adhibitis remediis votis non reſpondeat, mutanda eſt intentio, nam eorum uſum obſtinatum ſæpe magna inſequuntur incommoda, nec minus ab eis abſtinendum eſt, ubi tumor eſt Criticus, materia maligna, vel cum in collo, vel in inguine ſeſe prodit, quibus in locis glandulæ facile in ſcirrhos indurantur.

XLIV. In

XLIV.

In morbi incremento *reſolventia* conveniunt, quorum natura ex eis quæ de reſolutione dicta ſunt facile patebit, particulis enim conſtant activis, & aliquo modo reſtrictoriis quibus humores attenuati mediante fibrarum contractione in vaſa propria circulationi remandantur.

X L V.

Quando digeri & diſſlari per reſolventia materia renuit, aucta remedii virtute Curatio per *ſuppurantia* inſtituenda eſt, quæ fere ſola ratione gradus agendi inter ſe differunt, ideoque incepta ad maturationem per actionem reſolventium diſpoſitio, fæliciter per ſuppurantia perſolvitur. Conſtant particulis calidis, activis, humidis, & ſæpe oleoſis, ex hiſce fibræ relaxatæ multo minus ſenſiles evadunt, unde *Anodina* audiunt, ex illis materiæ motus inteſtinus promovetur, nec non vaſa circumſita levi vellicatione ad expreſſionem humoris lympidi irritantur a quo (ut ſupra dixi) debita puris ſuppuratio multum dependet; materia mole auctâ amplius ſpatium requirit, eoque fertur ubi minorem invenit reſiſtentiam, quæ cum ad extra ſit, ob convenientem partis ſitum, & fibrarum ejus tonum particulis medicamenti humidis relaxatum, cutim in tuberculum attollit, per quam tandem diſruptam exitum ſibi parat. Ulcus apertum *deterſivis ſarcoticis* & *cicatricem inducentibus* tractandum, quæ minus proprie ſunt hujus loci quoniam ad doctrinam de vulneribus & ulceribus præcipue ſpectant.

F I N I S.

Ornatiſſimo Expertiſſimoque Viro

D. D. SAMUELI CROMWEL, M.D.

Fælicem vaticinatur praxin.

Orbem veneno terruit horidus
Python, ſagittis donec Apollinis
Per vulnera exhauſto veneno,
Sordida detumuere membra.

Aſt Phœbi ovantis dextera Proh! levis!
Python jacens mortalibus acrius
Inſultat, atri qui cruoris
Effluviis tumeſecit Orbem.
Telluri inhæret, fluctuat æquore,
Spiranſque vindictam æthera trajicit,
Unde impotens Phœbo nocere
Corruit heu! metuenda peſtis.
Tandem querentem fatidico jubet
Ardore plenum, Carmine Cynthius
Fœlicibus grato Britannis
Egregium Celebrare Myſtam,
Myſtam ſacrorum, qui Pharetram DEI
Telis onuſtam millibus obtinet,
Quêis noxias virûs tumentis
Reliquias repetet peritus.
Fruſtra tumentes jam cruor æſtuans
Irritet amnes, Lividus impios
Jam ſcirrhus incaſſum nepotes
Speret adhuc generare Cancros.
Seu vaſtat artus ſordida languidos
Gangræna, ſeu exeſis Carie oſſibus
Fæſtina compagi ruina
Imminet, Hic tribuet ſalutem.
En qui Britannis conferet, inclytis
Quodcunque Athenis Gallia jactitat
Edocta Bellorum ruinis
Reddere vulneribus medelam.
En cui Datum eſt attingere proſpero,
(Infida quo nos per freta tendimus)
Miſtis metallis non tumentem,
Palladis at placidum Corinthum.
Cautè Sorores ducite Stamina,
Vivat extenſis Patriæ ſalus
Oevis, ut orbis, quem docebit,
Deliciæ, meliora Condat.

JOHANNES TOWNELEY,
Angl. Med. Studioſus.

SA-

Willisî triſtis Medicina fato,
Quod tuis, ejus fugiendo dextram,
Pullulent æquis inimica votis
turba tumores,
Deſeras planctus, ſimul ac iniquas
Gaudio voces; SAMUELIS iſta
Multiceps tandem jacet ecce dextrâ
Hydra bimembris.
Morte fœcundâ rediviva peſtis
Non ſuo plus jam metuenda letho:
Ante ſperatos iniiſſe velis
Læta triumphos:
Quod manu votâ cecidiſſet Angli
Lætior: cui tu peramica genti
Semper es illam proſecuta largo
Diva favore.
Præcoci quamvis obiere fato
Willis & Mayow, aliis verenda
Non tibi, non te timuſſe decet,
Numina Parcas.
Sacra Phœbææ peritura nunquam
Morte majeſtas alicujus arti:
Spe tuos ſummâ novus ecce ſurgit
Willis in hoſtes.
Ipſa tu claram redimito frontem
Fronde Daphnæa. Quis Apollinari
Dignior cingi radiata circum
Tempora Lauro?

D. S. C. M. D. accinebat Lætus
CHRISTOPHGRUS CRELLE M. D.

SAMUEL CROMWEL
ANAGRAMMA
Summâ luce levor.

Fortè gravem geſtans Medicina tumoribus utrûm,
Invocat immites numina ſæva Deos:
Non Lucina poteſt, poſt irrita vota medentûm
Tot diris monſtris ipſa levare gravem.

Tan-

Tandem Phœbus ait, poſtquam fere fruſta dolore
Incuſat proprium jam Medicina Patrem;
Parce metu, ſummâ nam luce levabere nata,
CROMWELUS ſecum lucem, operamque feret.

Sic ludebat intimo ſuo amico
D. D. SAMUELI CROMWEL
ſummam Medicinæ lauream reportanti
PHILIPPUS IGNATIUS SAVE, Montenſis.

Viro expertiſſimo

D. D. SAMUELI CROMWEL, M. D.

Accipias iſthæc ſubitis properata lituris,
Tempore quo præſens nulla Camæna fuit:
Quæ mihi compta ſatis præberet verba loquenti,
Materiâ vires exuperante meas.
Te, tamen aggredior, ſpretis celebrare Camænis,
Non opus eſt etenim fingere, vera loquar:
Quicquid enim Medicâ docuerunt arte periti:
Vidimus exiguâ te poſuiſſe theſi.
Expertos multis monſtras erraſſe Modernos:
Irrides gratis tradita verba ſenum.
Nam ratio (Dicis) medicum, non barba docebit;
Quod ratio ſuadet, te tenuiſſe juvat.
Haud ignota loquor: te qualibet arte peritum
Anglia teſtari, Gallita, Leyda poteſt.
Non opus eſt igitur cumulares Pelion Oſſæ,
Laudibus & laudes: omne quod ambis habes.
Cur cupias titulum? qui nil ſuperaddit honoris,
(Cum tibi nil addi poſſit) inanis erit.

Hoc pignus Amicitiæ offert
SAMUEL SHYRCLIFF, Art. Mag.
Acad. Cant. S. Theol. Studioſus Ang.